



11

PARENTALIA ANNI-
VERSARIA, FACTA VITEBER-
GÆ 1562. 19. APRILIS, REVERENDISS: ET CLA-
rissimis uiris, MARTINO LUTHERO, & PHI-
LIPPO MELANTHONI.

A Terno genitore satum sine origine VERBUM,
Et fidos verbi suprema ad fata ministros,
Inuictum sacris Martinum, paruaq; Bretta
Quem dedit, & flauum post Capnio misit ad Albim,
Nunc iterum cano, & hoc iterum decoramus honore
Sublimes heroum animas, quos Leucoris ora
Audiit excitos fato reuocare sub auras
Verba dei, & fictos aris detrudere cultus:
Exigui numero, sed verbo uiuida virtus.

Annua iamq; dies agitur, quo membra Philippi
Condidimus terra, cui dum per fata licebit
Inferias inopes carmen, lacrimasq; sacrabo,
Præstans & memorem meritæ uirtutis honorem,
Atq; ita commendans verbi cœlestis amorem
In studia adducam, & tantorum exempla virorum.
Dignus uterq; cani, quos in pietate docenda
Laude pari, & studijs æquè felicibus ambos
Cura Dei vnanimis ad fata nouissima iunxit.
Fortunati ambo, si qua est super vlla laborum
Gratia, si cœlo pietas quæ talia curat,
Nulla dies vnquam uestra ardua facta silebit.

B O sate

O sate mente Patris, cū nondum secula, nondum
 Grandis humus librata suo cum pondere staret
 In medio, Oceani rapidis circumflua lymphis,
 Omnia qui nullo finxisti è semine rerum,
 Quiq; sonans latè verbum, secretaq; iura
 Primus de gremio Patris euulgata tulisti,
 Perq; omnes orbis tractus interprete Flatu,
 Ora per & linguas Vatum tua sacra docentum
 Ritè propagasti, & sonitu loca cuncta replesti:
 Quiq; hos alueolos decorasti munere verbi,
 Ex illo et multos uoluisti ferre triumphos,
 Christe tibi has inquam grates cano: si qua sub Vrbe
 Doctrinae sedes manet hac, & si qua beatis
 Cœtibus inseritur verbo collecta iuuentus,
 Et si membra facis tua, si nos deniq; vitæ
 Heredes regione poli, si luce potiri,
 Muneris omne tui est, Soli hæc tibi debita fama est.
 Iamq; per has ego te lacrimas, nomenq; tuum te,
 Quando aliud nihil est maius, meliùsue per orbem,
 Obtestor, tua sacra velis immota tueri,
 Et tegere his, alijsq; locis tua verba professos,
 Si pendent ex ore tuo, si pectore fido
 Spargunt per populos sana, atq; feracia frugis,
 Consona scripturae, & fidei conformia rectæ.
 O & qui ueteres cœlesti lumine Vates
 Lustrasti, irradians largè, corda algida corda

*Vi flatus impelle tui, simul instrue verbo
Signa pedum, & mihi finge gradus, simul arida labra
Sparge Israël de fontibus, ut mihi dulce
Carmen ab ore fluat, quod honori, quodq; saluti,
Christe tuæ genti, teneræ sit & vtile publi.*

*HVMANO generi nam te dare iura fatemur,
Qualis Aron, summi partes doctoris agentem,
Atq; vnum sociæ gentis CAPVT, omnis abunde
In quo habitat seclusa Patris sapientia, & in quo
Os positum patris est ornatum interprete lingua
Diuersos callente modos, discrimina vocum
Mille vbi, mille artes, & dulcis copia fandi,
Quæ vitæ præcepta tenet, veræq; salutis.
Te pater omnipotens oleo letantis oliuæ
Contigit, atq; tuis te præ consortibus vnum
Consperisit caput, & sancta vi flaminis vnxit,
Nec modus ullus erat tantis mensuræ donis.
Eia age qui nostrum caput es, fac balsama stillent
Vertice fusa tuo, suauitinentia barbam
Rore meam, liquor vnde fluat tota vndiq; veste,
Atq; nouæ vires tua sancta in membra trahantur,
Quæ te corde colunt, non ut delubra, diesq;
Dent tibi sacrificos, sed puro pectore vota.
Nam patris es VERBUM, quod nullus terminus æui
Excipit, & primus tu consulta abdita patris
Vulgasti fama, tu Verbum cuncta creata,*

B 2 Naturamq;

Naturamq; omnem rerum quàm magna per orbem
Vndiq; fecisti verbo, in lucemq; tulisti.
Tu verbo veniæ, suavi quod Gratia ab ore
Emittit, lapsum retraxti è faucibus Orci
Primum hominem, amplexans blandè, & trepidantia
Lenisti verbo: similem tu luce carenti (corda
Lustratum ex verbo generasti denuò ad auras.
Viuum tu pariter cum verbo numinis Ignem,
Spemq; ratam vitæ æternæ post fata dedisti.

Tu, cum prima recens ortis Ecclesia terris
Conuentus coleret, per Adamum es verba locutus
Diuinorum operum rudibus, cum fortè decenter
Constiterant, iuxta coniunx, & parua hominum gens.
Nec mora longa, Cain ingratus & efferus hospes,
Vt fratrem inuocuum nil tale à fratre timentem
Vi superans letho dederat, factisq; probaret
Se colubri semen, promissi vt seminis audet
Ima pedum morsu appetere, immanisq; venenum
Dentis in æterni legatos vertere patris,
Cum benè compositos primo uix tempore cætus
Turbaret feritate Cain: tu numine Sethum
Excieras, quem mox ætate secutus Enochus,
Mathusalemq; æui maturus, & ordine longo
Sacrifici patres, quos demum exceperat æuo
Vitisator Noë, consolatorq; laborum:
Per vocem illorum populos tua sacra docebas,

Et

Et verbi officio, cuius moderatur habenas
Spiritus, & propriè sibi vendicat, agmina passim
Sancta coëgisti superi ad commercia regni.

Cumq; vnda vltrices totum cum gentibus orbem
Fluctibus opprimerent, vera seruatus in arca,
Tutus in hoc verbo, Noë discrimen aquarum
Euasit, rapidus possedit cætera pontus.

Ipsè bifrons priscis propter duo secula dictus,
Ianus & inuentis accepit nomen ab vuis.

Quæq; sacer Noë mundo commisit utriq;

Accepta è cælo diuini oracula verbi:

Hæc eadem Iapetus Semo cum fratre sonabat,

Finibus hic patrijs, miseris sed gentibus ille,

Qui genus incultum, & dispersum montibus altis

Composuit, legesq; dedit, moremq; sacrorum:

Isq; vt opinor, erat dictus qui Iupiter illis.

Hi coniurati diuina in fœdera fratres

Verba tuebantur diuini conscia pacti,

Tot contra insultus, fastidiaq; impia fratris,

Qui semen nudis in lumbis, vnde sub auras

Promissum exiret Semen, qui cœlica verba,

Longæuumq; patrem fungentem munere verbi,

Traduxit socijs, risuq; excepit amaro.

Illusum nunquam superis impunè: merentem

Damnârat, Stygioq; pater deuouerat Orco

Subiectum imperijs fratrum, dum vita maneret,

B 3 Dehinc

Dehinc olim seruis famulandum in nocte profunda,
Cætus ubi irrisor Christi, Latiusq; sacerdos
Seruilis Chami maledicto nomine gaudens.

At pia progenies Semus, rex pacis, & almæ
Iusticiæ, Chaldæa petens sola, tradidit Abræ
Ritè propagandam doctrinam in stirpe nepotum.
Duxq; gregis Moses ad munera sancta vocatus
Te coràm audiuit manifesta voce loquentem
Nate Dei, sacris vibrantem in sentibus ignem,
Et cum fratre pio tua sacra oracula pandit
Fratribus Hebræis, testatusq; omine certo est
Te Diuum humana lustrantem in imagine terras
Dignaturum olim nostras sermonibus aures.
Non equidem Heliam quem viuum regia cæli
Excepit, nec qui studijs comes hæsit Elisa,
Prætereo dictis, nec qui cum verbere fundæ
Præcipitem immani deiecit mole Cyclopem.
Non equidem, nec te Samuel diuine tacebo,
Nec quem misit Amos, nec qui Babylona petebat
Ieremias, nec qui pelagi proiectus in undas
Treis latuit soles monstri fluitantis in aluo,
Ionas, cui pauidæ nomen fecere columbæ.
Nec te transierim, quo viso turba leonum
Dedidit rabiem, positaq; cupidine pastus
Optauit vacuo primum ieiunia ventre.
Non ego Malachiam vatem, quiq; obruta terræ

Indutis

Indutis membris animari viderat ossa,
Et nec Sachariam Darij sub tempore regis
Fata recensentem, tacitum, indictumue silebo:
Qui tua verba tuo suscepta ex ore sacrato
Spargebant populis, tuaq; ardua facta canebant,
Mira quoq; edentes verbo, memorandaq; facta.

Tandem etiam fixi completo temporis orbe
Tu Verbum in pura latuisti virginis aluo,
Os, humerosq; hominis sumens, veramq; figuram,
Oratorq; dei, mortalibus ore rotundo,
Et labijs vitam stillantibus, ardua caeli
Dona resignasti, cumq; Israële locutus
Mandatum, tibi quod genitor concredidit uni
De patris aeterni decreto, in monte Sionis,
Voce palam populis testatus es, instar & olim
Cortis avis pennae obtentu felicitis inumbrans,
Voce coëgisti sparsos à turpibus Orci
Vulturibus, canibusue tuum lacerantibus agmen.

At postq; delicta pians mortem ipse cadendo,
Deicere ausus eras: spargendam & munere verbi
Iusticiam, & vitam reparasses redditus auris:
Bissenos proceres diuersum mittis in orbem,
Pulcrorum qui ritè pedum iam munere functi
Significent pacis noua iura, Deumq; fauentem
Humanis iam iterum rebus, portasq; reclusas
Elysi nemoris, nobis qui immanibus ausis

Autores

*Autores cædis Christo sumus, arduus ex quo
In trabibus Flamen vitam exhalauit in ara:
Præclusamq; patere viam, te semper ad ipsas
Stante fores, per easq; vltro admittente fideles.*

*Nec satis hoc, patris à dextra tu sanguine natum
Tharfiaco Vatem excieras, cui dulcia verbis
Ora tuis opples, tua sensa exponeret ipsis
Gentibus, antiqua cretis de stirpe Iapheti,
Ipse suas operas præstet tibi, multaq; verbo
Agmina, cælestis vocet in consortia vitæ.
Illi omnes operis coniuncti, & adire parati
Omnia, suffecere loco tua verba professos
Sacratos primùm proceres, qui tradita scriptis
Transmisere orbi, magno dum munere diuûm
Tandem etiam his olim doctrina est prodita terris.*

*Talibus auspicijs verbum cæleste parentis
Ore tuo emissum, duce te, comitanteq; flatu
Expositum, cepit iusto incrementa tenore,
Ora per infantum, & miseros sine honore ministros
Vsq; propagatum spaciosa in climata mundi.*

*A Treprobus, semperq; odijs, & crimine sæuo
Infensus motu proprio moderator Auerni
Æterno Verbo par cum patre numen habenti,
Cum cuperet siue hoc subuersum, siue sonantem
Doctrinæ vocem, docuit quam filius ipse:
Omnia mutatum sese conuertit in ora*

Huc

Huc obuersus & huc, Variasq; excogitat artes
Qua tentet ratione aditus: Si tollere Christum
Non datur, at saltem morsu violaret acerbo
Legatos verbi, calcem & vestigia Christi,
Et luce excussos verbi, sub nocte teneret:
Aut si nulla viam dederit fortuna, latenter
Inficeret saltem, verboq; induceret umbras.
Inuadit, sociosq; suo de semine poscit
Quos mundi imperium, atq; arguta gloria mentis
Sublimes tollit: Coeunt sub fortia plenis
Signa vijs, ferro palmas, & pectora fraude
Instructi, caedesq; immani gutture spirant.
At letus Satanas, successuq; acrior ipso
Instat vi solita, naturaliq; furore
Nusq; odio amittens, fatis premit asper acerbis,
Transuersosq; rapit plures a tramite verbi,
Euellitq; animis vix dum radicibus actis
Incautos spolians aeternae fruge salutis.
Sic coniurati veniunt ad faedera, & vno
Ore Dei verbo insultant, velut agmine facto,
Freti opibus, plausuq; virum, studijsq; fauentum.
Non secus atq; Cain, cum contemptore parentis
Seruili Chamo, socijsq; sequentibus illum,
Et rapidus Nimroth, & Nili rector acerbus,
Tollere de medio verbum, verbiq; ministros
Consilijs agitant varijs, perq; omnia versant.

C

Saulus

Saulus item genus à sancta qui gente traherat,
Infensusq; Haman Solymæ, & Babylonius Achab,
Sacrorumq; ordo procerum, & diuersa professi
Nomina doctrinæ Solymis, sceptrisq; potiti
Romanis, odio verbum cœleste fatigant.
Arius è superis ausus detrudere regnis
Maestate Dei exutum, & sine numine Christum,
Deficit à verbo, Satanæq; in castra receptus
Errorem hunc animis fixum, immotumq; reliquit:
Posteritasq; omnis mendaci subdola lingua
Rem gerit, & ferro infestat documenta professos
Vera Dei, veraq; in religione tenaces.
Tandem Arii soboles, redimiti & tempora vittis
Romani proceres coëunt, Martemq; fatigant:
Christo inferre parant bellum lacrimabile, & alter
Poscit opem alterius tandem, & coniurat amicè.
Ergo sub pedibus diuina volumina ponunt,
Atq; fidem nolunt scriptis admittere verbis:
Inde noui cultus, & fida silentia sacris
Matris Eleusinae mutos imitantia ritus,
Inq; antris vano indulgent pietatis honori
Nequicquam humanis venerati numina iussis.
Penè Dei verbum ex oculis & luce repulsum
Æternùm tenebris latuisset, penè lituras
Passum, penè igne extrema iam sorte stetisset,
In superos si fas tantum mortale teneret

Crimen

Crimen, & humanis non terminus hæreat ausis,

*At pater, vt semper nostri iactura dolori est,
Incumbens lapsi generis sarcire ruinam,
Excitos alium ex alio succedere iussit
Qui rem diuinam manifesto numine adaëti
Rursus in antiquum ferrent, solidéq; locarent.
Multa quoq; hi passi, damnati & crimine falsi,
Fortia dum fictis opponunt pectora sacris
Confessi purè Christum, caussa vnde salutis.
Tollitur è medio Boiemi nominis Hussus,
Et sparsos cineres Rheni dant ferre fluentis:
Vritur Ausonijs & Sauaronola sub ortis:
Relligione sacer, Proles qui nomine fertur,
Proscriptus furijs à consuetudine vulgi
Exigitur, passimq; est ferre indigna coactus:
Vuesselus heu quantis odijs, quantisq; periclis
Pressus erat? pauci in latebris compendia vera
Doctrinae fidei nôrant, sed dicere mussant.*

*Ergo iterum pietas densis obducta procellis
Quæ cæli tenuère viam sub nocte profunda
Delituit, nullo communi obstante periclo.
Hac Turca infensus Christo, Roma impia ab illa
Parte ferox, meritum extenuat, caussamq; salutis,
Verbum abolens, nullo penitusq; in honore reponens,
Confessosq; fidem poscit cum sanguine pœnas.*

Sic tandem verbo toto ex Oriente fugato,

C 2 Hesperijsq;

Hesperijsq; plagis, iam non super vlla manebat
Cognitio Christi personæ, aut muneris huius.
Mundus enim ambigua fertur regione viarum,
Et vitam in tenebris amisso ducere verbo
Cogitur: vt quondam in syluis deprensus arator
Labitur in præceps fatuo delusus ab igne
Lumina qui longè ostentat fallentia noctu.

Tandem etiam cælo miserans incommoda nostra
Filius ipse Dei, nec passus longius ire
Serpentis furiale malum, sed dura reposcens
Supplicia ob verbi contemptum ante vltima mundi
Fata, prius summo quàm sit vastandus ab igne,
Heroes geminos eduxit numine in auras,
Quos fœcunda dedit Mansfeldia, paruaq; Bretta
Vitiferos Rheni quæ prospicit obuia colles:
Insignes animis, qui pro pietate tuenda
Mille tot impositos potuerunt ferre labores.
Lutherus sacrata procul detrusus ad antra
Relligione patrum, quâ currit flumine Hiera,
Inciderat fatis in tota volumina verbi,
Tempore quando illo partes, & fragmina tantum
In medium populis ignota in voce dabantur,
Et Latij tantum vsus erat sermonis in illis.
Ergo altè ex animo suspiria ducere cœpit:
O mihi mancipio detur si tale volumen,
Et quantum sat erit Christi cognoscere facta,

O ego

O ego tum felix, fortunatusq; laborum,
Et nulli veterum scriptorum laude secundus,
Qui me cunq; manent isto in discrimine casus,
Et te Christe manent, prius hæc inuisa relinquam
Lumina, quàm de te poteram cessisse videri,
Fidentes Deus ipse iuuat. Non vana precantem
Audiit, & voti Christus succedere partem
Mente dedit, simul hæc altas suspiria nubes
Rupere, atq; aditum cælo inuenere secundum,
Qualia multa pijs Latia Babylonis acerbo
Carcere detenti, ad superos ita vota dederunt.
Parua mora, & sacris integra volumina scriptis
Staupicius, qui se Prolis referebat alumnum
Fratribus ad mensam lectu euoluenda parabat
Augustine tuo qui se de more tenebant.
Ergo vbi erat compos voti, atq; hortamine multo
Staupicij accensus, sed adhuc detentus in antris,
Aggreditur lectu cælestia scripta Lutherus,
Indulgetq; operi insolito, & recludere sanctos
Fert animus fontes, & miscet vota labori,
Doctrinae & formas confusas, inq; plicatas
Nexibus argutis, quas tum triuere legentes,
Paulatim ex animis abolere, & temnere sensim
Incipit, & veteris cepit fastidia Thomæ:
Occa vetus placuit reliquis argutior vnus,
Postq; suum autorem non quod præferret, habebat.

C 3

Incipit

Incipit & sentire animis quæ pondera subsint,
Quæq; Dei virtus studijs exercita verbi,
Quanquam opere in tanto iam tum ductore carebat.
Præcipuè in manibus Pauli commenta tenebat,
Expendensq; animo sanctum & memorabile dictum,
Vitam interuentu Fidei contingere iusto:
Hic primùm edocuit, claroq; est ore professus,
Non illum iusti partes implere putandum
Vitam qui benè agit, vel sæpè iniusta ferendo
Crimine abest: sed enim signatum nomine iusti:
Quem Christi ex merito referat clementia Patris
Iustorum in numerum, iusti non nomen habentem:
Sive quibus gratis Deus imputat obuia dona
Iusticiæ nati, peperit quam sanguine fuso.
Namq; Fidem hinc aliò sese hoc sermone referre,
Quæ Christum prendaat celsi quem rector Olympi
Iusticiæ esse loco voluit mortalibus ægris,
Iusticiæ, victor rediens quam Christus ab umbris
Legatos verbo sinit vulgare per orbem.
Hanc ita ab æterno decretam à patre supremo,
Promeritamq; p̄p̄s vno libamine Christi,
Ac dispensatam in medios per munia verbi,
Esse animis nostris aptandam, alienaq; dona
Amplectenda fide propria, assensuq; tenaci.
Et quanquam illa fides pedibus procedere firmis
Interdum nequit, orba trahens præcordia & ægra,
Nec

Nec numero perfecta suo est, quia semper habemus
Reliquias culpæ, dubiosq; in pectore motus
Naturæ hærentes veterem referentis Adamum:
Quod tamen adprendit, firmum, immotumq; manebit,
Iusq; suum exequitur, velut immutabile Patris
Decretum, & veluti meritum pro sanguine Christi,
Et flatu testata sacro res conscia veri,
Fundamenq; tenax quod sacro in codice fixum est.
Namq; ratum fidei, non è molimine nostro
Pendet, & assensu nostro, cui nempè necessè est
Iusticiam ut Christi Deus imputet, atq; reatus
Gratuitam exhibeat veniam indulgentia mitis:
At positum est, firmumq;, ac inuiolabile perstat
Decreto in Christi merito, verboq; loquenti
Pacta immota Dei: neq; enim promissa retractat
Omnipotens, nec quæ pepigit semel ipse recusat.

Prima ea cognitio deducta volumine Pauli,
Causa fuit, Verbo plus doctæ impendere curæ,
Et penitus sacros vatum lustrare recessus,
Atq; adytis inferre pedem cælestibus vltro.

Firmatum hinc cantu sese memorare solebat,
Cantu, quem solitus natalis tempore Christi
Alterno variare sono in testudine templi:
O quater, & quoties non est numerare beata
Culpa patris primi, qua massa humana redempta est.
Hoc cum fortè suam soluisset carmine linguam,

Tharfiaci

Tharsiaci in metem venit sententia Vatis,
Quòd culpæ numerum superet pia gratia Christi.
Hinc sensum elicuit, capti quòd fraude colubri
Lapsus Adæ fuerit redimendæ caussa salutis.

Tum demum ingenti sese clamore ferebat
Victorem, & populos sancto sermone replebat,
Et Verbo mouet arma pius, gaudetq; superbum
Excutiens ceruice iugum, regnumq; Papatus
Impavidus taxat verbo, & docet ore disertò,
Et primùm dictis audet se opponere contra
Tecelij nugas, veterum & commenta Deorum.
Hic, non ille æstus tantum quos gurgite Rhenus
Erigit, eructatq; vadis: Tyberimq;, Padumq;
Concitat in sese: rerumq; ad frena sedentes
Vndiq; collecti coeunt, bellumq; laceffunt.
Certatim accingunt proceres se in fata Lutheri
Totq; vnum telis figunt caput: ille Leo ceu
Nobilitate prior, quem bucera secla ferarum
Circumstant fremitu denso, cornuq; laceffunt,
Qui neq; vim membris vllam, neq; vulnera dorso
Accipit, hunc tamen est, nunc illum expositus ad ietum,
Dum tandē instantes frustra, & genua ægra tremētes
Occupat in latus, & subita vi extendit arena,
Comprensosq; tenet, pedibusq; euiscerat vncis.
Haud secus in verbo manet imperterritus ille
Signa tenens immota pedum, stetit aspera contra

Tela

Tela virum, & verbo venientes depulit ictus
Latum limitem agens circum quâ tendit in hostem,
Qualis compedibus ruptis medio agmine Simson
Mille die victor maxilla ad tartara misit.

Tandem etiam Goliath, triplici cui tempora circū
Ordine consurgunt auro fulgente coronæ,
Ipsam ad certamen vocat, & vittata repente
Agmina disposita in numerum, velut aspera Martis
Pugna vocet, plenis audent procedere signis.
Hastam terribilem sæuo cum fulmine vibrat

A Capitolina decurrens aureus arce
Agmen agens præ se comitum, mundiꝑ potentum,
Ipse dehinc humeros latos septemplice condit
Lorica, dehinc ære cauo super, & procul ore
Scintillæ absistunt candentes, & rotat ensem
Fulmineum, Caco Aetnaeis quem fortè caminis
Fecerat ignipotens, Stygia & durauerat vnda.

Haud impunè quidē, instantē nec pertulit ultra,
Oblitusue sui est in tanta sorte Lutherus:
Fundam cum lapide insuto sua tela mouebat
Hostem magnanimum opperiens, & more bubulci
Armatus campo ingreditur, seq̃ excitat ira.
Degeneres qui fortè boues, qui strauerat hircos,
Nunc fundam tereti circum caput egit habena,
Vociferans, Nunc ô nunquam frustrate vocatus
Christe meos, nunc tempus adest, nunc te arbiter ille

D Summus

Summus sacrorum descendens Tybridis ora
Te, meritumq; tuum aggreditur, da sternere funda,
Loricamq; hamis confertam auroq; trilicem
Rumpere, turritamq; manu lacerare coronam,
Unus ego hunc verbi Clypeo protectus adibo.
Sic ait: & Latij conuentus in caput acta est
Funda volans, trifidumq; illisit vertice honorem.
Dehinc illi proprio iugulum mucrone resoluit,
Verbis Christe tuis, cuius sese improbus ille
Procurare vicem terris sermone ferebat.

Post ad concilium magnum de more uocatus,
Rem gerit in verbo, nec clauam hanc Herculis alti,
Nec fundam hanc paruum Vates qua regius usus
Torqueri è manibus patitur, neq; enim vlla volentem
Vis potuit, regumq; preces auertere verbo.
Non adeò has exosa manus victoria fugit,
Pro sancto vt dubitet verbo implorare quod vsq; est.

Atq; ea dum terris superata pericula solus
Hauserat, & finem speraret: tum noua Lernæ
Succrescunt capita, in numerumq; repente subibant.
Nam Satanas, exosum orbi quò redderet agmen
Christicolum, verboq; notas aspergeret atras:
Excierat socios, qui seditione cruenta
In ferrum Christi pro libertate ruebant,
Scilicet, & vulgus vanum sub signa vocabant.
Hi furijs acti ritus, moremque sacrorum.

Omnem

*Omnes de medio tollunt discrimine nullo.
Diripuere aras, & relligiosa Deorum
Limina demoliri ausi de sedibus imis,
Obliti decorisq; sui, sociumq; salutis.
Multi equidem qui regna Papæ subvertere adorti
Consortes aderant, postquam conuulserat altis
Sedibus, impuleratq; prior crebro ariete verbi:
Sed pauci moliri iterum, & noua condere iura
Inuenti, qui vel vallo circumdare templa,
Et circum aggeribus, valida & sepire virum vi,
Et verbo inciperent diuinas auspice pugnas.
Quippe furens animis Caroli qui dictus ab urbe est,
Voce prophanabat Cœnæ monumenta sacrata.
Cui se addunt comites qui seditione potentes
Extenuant dictis ritum pro gurgite sacro.
Surgit ad hos, Christi q; opponit verba Lutherus,
Obturatq; ora, & verbum vocale tuetur
Mentitos contra afflatus, & inania visa.
Sed multi ad mentem pulso rediere furore
A verbo in præceptis quos lubricus egerat error.*

*Ergo illum doctis solitum decernere scriptis,
Vis verbi omnipotens dedit hostibus esse priorem,
Irrisum & sine honore Papam conuincere dictis.
Plura referre iuuat, spacijs quæ inclusus iniquis
Prætereo, atq; alijs linquo magno ore sonanda.
Partem etiam ex illis hac ipsa in sede locatus*

Voce recensebam bisseis mensibus actis,
Quæ nunc his Vatum exequijs, se more gerentum
Helix, & comitis per cuncta hærentis Elissæ,
In mentem reuocanda iterum, & memoranda putavi.
At satus ille Deo, in numerum qui munera cælo
Proijcit humano generi, & sua sacra gubernat:
Luthero addiderat comitem, sociumq; laborum
Omnia tam angusto cui pectore dona Deorum
Contigerant, Rheni è ripis huc missus ad Albim
Omnibus ingenio prior, omnibus arte Melanthon.
Is virides Nicri ad colles, claramq; Tubingam
Excoluit mentem, studia ad quæcumq; volebat
Spontè sua facilem, & ductu nullius egentem.
Hinc illum ad sacras & auunculus excitat artes
CAPNIO, non illo celebrandus nomine tantum
Quòd puerum egregiũ, & consanguinitate propinquũ
Artibus institui voluit, Musisq; dicauit,
Gymnasijq; huius communem eduxit in vsum,
Atq; omnis gentis quæ Christi sacra professa est,
Quàm latè imperij Romani extenditur orbis:
Verùm etiam arcanas artes, desuetaq; linguæ
Hebrææ studia aërias quoq; rursus in auras
Eruit, & Solymis formauit vocibus ora.
Iam tum etiam vidit puerum haud vulgare ferentem
Naturæ indicium, qui succrescentibus annis
Vim latè exereret studio, atq; insignibus ausis,
Et mersum

Et mersum in tenebris, & densa sorde Papatum
Discuteret, trepident immisso lumine falsi
Doctores, icti radijs tam lucis aperta.

Vt Ducis accitu Friderici venit ad Albim,
Aonio secum deduxit vertice Musas
Graio fonte lauans, atq; Attica mella ministrans
Ignoto iuuenum perleuerat ora liquore,
Et mirata sonum Germania, dixit alumnum
Graia stirpe satum, nutritum Heliconis in antris.
Tam linguas, tamq; egregias feliciter artes,
Tam facili ratione, & tam praesente Minerva
Traetabat, siue ille sacras, siue ille profanas
Mallet, par labor & successus vtrinq; laborum est.
Nec scola Romano imperio tam oblita salutis
Detrabere ingentis meriti famam ausit & artis.

Danubij ad ripas insignis in arte professor
Asseruit docta medius stipante caterua,
Haectenus ignotum ferme, indictumq; quid esset
Ille argumenti in medio qui terminus haeret,
Ni planè ediderat scriptis pia cura Philippi.

Adria praesignem qua mercibus alluit urbem,
Relligione sacer dictis aggressus amicis
Nostrae hominem gentis fertur: dic hospes an ecqua
Docta vebis tecum monumenta, & scripta Philippi,
Quando recens illinc huc nostram adueneris urbem?
Cui Germanus homo momento hoc temporis inquit

D 3 Nulla.

7
Nulla mihi in promptu, sed enim manet ædibus intus,
In capita, & partes certa ratione redactum
Religionis opus, quod si vidisse laboras,
Nulla mora in nobis, dabitur tibi amice quod optas,
Nec te pœniteat multum triuisse legendo.
Cui contrà ingressus Monachus, prò Iupiter inquit,
Ille erat, ille liber votis quem sæpè petiui,
Omnia mi dederis, huius si copia detur:
Ad nos vix pervenit opus quo ritè docetur
Differere, & tantum profeci legibus illis
Hei nimum vana quod sub pietate tenemur:
Exemplisq; pijs illa quibus utitur arte,
Rectum iter ad superos cognoui, atq; auspice ductu
Illorum, inueniam certam post fata salutem.
Hæc illi inter se vario sermone serabant,
Nec regio in terris famæ non plena Philippi est.
Namq; ille egregius doctrinæ præses & autor,
Hæc cuius cineri exequimur solennia iusta,
Non modò tractatas aptauerat vsibus artes,
Ritè sed exemplis sacro è codice ductis
Illustrans studio doctis insevit alumnis.
Scripturæq; fide certa permotus, & inde
Voce Luthere tua victus, recludere cepit
Scriptorum interpres Pauli ceu publicus, illam
Quæ sibi Romanum præscripsit litera nomen,
Et multis vicibus prælectam emisit in auras.

Tantaq;

Tantaq̄ eum tenuit sacrorum cura librorum,
Vt quanquam ingenuas fato traheretur ad artes,
Præferret tamen illorum sacra cœlica scriptis,
Et sæpè ingeminans docti monumenta Galeni,
Et qui descripsit spaciosum gentibus orbem,
Diceret, his melius toto nihil orbe repertum,
Artis inest tantum: Sed dia volumina præstant,
Quantum sidereos formosior anteit ignes
Hesperus, & quantum melior rosa picta ligustro est.
Hæc mulcent curas, tentataq̄ corda vicissim
Morte leuant, vitæq̄ frui dant luce perenni.

Ergo & cura scolæ magni post fata Lutheri
Imposita est illi, Fidei qui dissipta latè
Sancta rudimenta in formam, corpusq̄ redegit,
Nempè Patrum scriptis quod prætulit omnibus vnum
Lutherus, fueratq̄ autor tibi doctæ Georgi
MAIO, R qui tanti mensuram nominis imples
(Albiacæ tunc fortè scolæ data sceptrâ tenebas)
Misso Augustini quò codice, doctæ Philippi
Commenta, integrum Fidei referentia corpus,
Susciperes vulgò doctæ enarranda iuuentæ,
Verborum quâ certa fides, rerumq̄ bonarum,
Qui tam difficili de re tam lucida pandit
Scripta viam inueniens facilem, solusq̄ beatus
Grandia in exiguo versare negocia fine,
Atq̄ superuacuum susceptæ omittere causæ,
Se magno

Se magno verborum inuoluere singula flexu,
Nec breuibus magnas res posse euoluere dictis.

Sed non ille domi tantum exemplaria sancta
Nocturna voluitq; manu, exposuitq; diurna:
Hostibus at peregrè vultu congressus aperto
Contulerat dicta, & superauit numine Verbi
In morem Stephani quem saxeus obruit imber,
Vt sepè accisis irebus sua rumpere visi
Colloquia, vltiusq; suæ non fidere linguæ,
Clamq; humeros vltro susceptæ abducere pugnae
Ne penitus fusi, euictiq; pudore fatiscant.

Granuelus responsa viri miratus, & acre
Ingenium, & promptas quæsitæ ad singula causas,
Et celerem, doctamq; manum, qua nomine Scribæ
Vsus erat Cruciger, qui nostris partibus hærens
Rettulit in tabulas conuentus acta fideles:
Fertur in hunc dixisse modum, Quis talia cernens,
Amplius aduersæ malit contendere parti,
Nostrorum numero si præstat Scriba Lutheri,
Indictum vt mittam qui confert verba Philippus.

Hoc tum ille egregio nostros sermone probabat,
Et dictis res ipsa fidem dedit, inscia fraudis
Quid possit pietas si quando ad mutua ventum est
Colloquia, & soli adseritur sua gloria Christo.

Namq; vt erat recti prudens adsertor & æquus,
Non multa ratione probans, nec multa superbè

Argumenta

Argumenta crepans, sed pauca, & debita caussæ
In medium dabat, & verbi de fonte petebat,
Texta doli & soluens caussæ scandebat in arcem.
Tum uerò vrgebat dictis, iuguloq; prehendens
Nusquam amittebat peruersos arte sophistas
Ferro non verbo nitentes, regnaq; mundi
Venantes falso sub relligionis amore.
Hos cum non facerent pedibus vestigia rectis
Inclusi latebris incendia vana vomentes,
Alciden præstans magnum protraxit in auras
Dum iugulo arreptos comprehendit, & angit inhærens
Vocis iter, pressasq; includit faucibus auras.

Cùm Proteus varias tentaret lubricus artes,
Et mira ora gerens nunc siccis tutus arenis,
Mox & in antiquis syluis, & deniq; in vndis
Vultum occultaret formas mutatus in omnes:
Ipse hunc arreptum producit, & enecat vno
Conuictum scripto clara sub Noridos vrbe.

Quid multis opus est, norat decernere dictis
Ordine quæq; suo, atq; acie explorare sagaci
Fallaces laqueos, & cæca resolvere texta,
Mittere quod leue erat, statuiq; insistere caussæ
Non argumenti numero, sed pondere fidens.

Ergo etiam NAVES quem Cæsaris aula fouebat
Ipse fatebatur, non tam conuellere promptum,
Quàm facile asserere est nostris, & dicta tueri:

E Nempè

Nempè vbi nixa sedet certo sententia verbo
Quam ratio ad fidei debet componere normam,
Tum subito ruere, & fundo contraria verti.
Namq; Dei vires, & magna potentia verbum est,
Productum è gremio patris, atq; interprete nato
Vulgatum populis, cui præstò Spiritus hæret,
Qui roseo Christi quæritos sanguine quondam
Thesaurus verbi officio dispensat habendos.
Scilicet hæc ansa est qua maximus ille tenetur
Mundi opifex, quem nemo potest comprehendere sensu:
Hæc lux, qua nullo subiectum luminis orbi
Autorem rerum assequimur, vultusq; tuemur:
Hæc via, qua Christum fas recto accedere gressu:
Hoc solum fidei articulis fundamina ponit:
Hoc qui pectore habet fido, & cui cura tueri:
Illum adit, & sedem condit natusq; paterq;
Viq; sacra verbi Flamen transfundit in illum,
Et fidei incrementa nouæ, dehinc robora donat,
Et nos semianimes verbo generamur ad auras,
In verbo eluimur, maculasq; abstergimur omnes,
Vitaq; leticia comite, & pax libera curis
Cum verbi sonitu contrita in corda feruntur
Vitam ipso dicente λογος sub mentibus agris.
Et verbo infantum longè à sapientibus orbis
Prudentumq; acie posito, latèq; remoto,
Falsa inuenta Papæ, documentaq; vana professos,
Vimq;

Vimq̄ Deūm infernam, & stygij sacraria Ditis
Euertit fundo omnipotens, & spargit in auras.
Et verbo instructi, gladio potiuntur & armis
Quēis arcere fuga, atq̄ euertere viribus hostes
Spiritus ostendit per tot discrimina rerum.
Vnius & fundata sacro sententia verbo
Mille hominum arbitria exuperat, mille impia dicta
Mille in concilijs agitata, & mille theatris.

Cū verò in tenebris fadè sine honore iaceret
Legibus humanis immixtum, & sorde Papatus:
Ecce Deo natus præses, custosq̄ suorum
Summus sacrorum, ne quā sua regna fatiscant,
Antè repurgauit verbum, perq̄ ora Lutheri
Inuidia eloquio, per culti scripta Philippi,
Perq̄ tot egregias animas, sociosq̄ laborum,
Conflauit doctrinam igni, bullasq̄ repressit
Spumantis scoriæ, mox discretoribus illis
Concretam exemit labem, puramq̄ reliquit
Doctrinæ massam, atq̄ argenti ærisq̄ metalla,
Vt quondam simili sermonis more canebat
Malachias vates, & seclis omnibus antè
Sacra per excitos vates lustrata reliquit.

Cæde ferox, & cui semper mendacia curæ
Rex Erebi, à verbo transuersam ad monstra deorum
Præcipitans traxit secum cæca agmina Papæ:
Ergo trahunt vitam in tenebris, & inania sacra

E 2 Exercent

Exercent, trepidantq̄ immisso lumine Verbi,
Vani, qui raptus fingunt, simulantq̄ deorum
Colloquia, & visis inhiant, sacrataq̄ temnunt
Scripta: reformidant verbum, auersi q̄ feruntur.
Soliis & Verbi consensu ex ordine longo,
Et fidei norma fas est componere lites,
Vnde triumphatos mox sub iuga cogimus hostes
Elati causa meliore, & pectore recto,
Securi armorum: Quam magna potentia regni
Christe tui in verbo est: sine verbo est omnis inanis
Cura sagax, studiumq̄ vigil, labor irritus omnis,
Si verbum demas sunt somnia, & omnia sunt nil,
Non ritus, nihil vlla iuuant monumenta sacrorum,
Nuda vides elementa, nihil signantia rerum
Aut extra verbum, aut finem quo tendere fas est.
Sed liceat vati vatum simulacra priorum
Ducere in exemplum, Pomi de lite vetusta.
Nam fortasse vmbra rerum mansere priorum,
Perq̄ manus patrum sensa accepere minores:
Vt Nohe monumenta manent sub nomine Iani,
Famaq̄ Iapheti, & notus feritate Cainus
Articuli adiecta quem parte Lycaona dicunt,
Donaq̄ Pandoræ, & prudentia summa Promethei
Pro veteri Adamo quondam celebrantur & Eua.
Cui non audita est pomi illetabilis esca?
Namq̄ malum malo inuectum mortalibus ægris
Tradita

Tradita de patrum manibus sententia mansit.
Hoc erat, hoc pomum quod Verbo incluserat, & quod
Ipse suo verbo ornavat regnator Olympi.
Sed contemplata est sine verbo credula pomum
Eua parens, ut qui sine verbo externa tuentur
Flumina Baptismi: Quid enim sine numine Verbi
Est aliud pomum, nisi tantum ignobile pomum?
Sive quid est vitreis sine verbo mersio lymphis?
Quid lapis est, si non sint iura annexa, nec ullam
Tollit litem aruo, & partitur limite campum
Quam nudus lapis, & spretum sine nomine saxum?
Sic Eua à verbo pomi iam abducta, repente
Intuita est nudum pomum, speciosaq; multa
Hinc sibi promittit, rationesq; insuper audet
Conferre ipsa suas cum nudo perdita pomo,
Et nunc, inquit, ero Dea vera, atq; ille maritus
Quem penes arbitrium rerum, o pulcerrima rerum
Hoc tibi debetur pomum, neq; pulcrrior vlla est.
At pomum verbo inclusum, vitale quod antè
Extiterat, iam fit sine verbo triste venenum,
Et lethale malum, violatoq; ordine iusto
Eua rea aeternis damnatur subdita pœnis.

ERIDO S hinc pomum fertur finxisse vetustas
Credula more suo, quia nam mala plurima ab vno
Audierat malo sine verbo ex arbore raptò
Prodisse, & magnis mundum immerfisse ruinis.

E 3 ERIS

ERIS enim cælo infernas deiecta sub umbras
Tunc hominum vitæ, sanctoq; inuidit honori:
Ergo Dei verbo spoliabat nobile pomum,
Inscriptumq; aliter, Tu nunc eris altera Diua,
Projicit in medium, diuinaq; fœdera rumpit.
Et nunc inter eos hodie contentio restat
Qui nudum inspiciunt pomum sine pondere verbi,
Aut aliud pomo inscribunt, quàm postulat ordo.
Sed ne uos rapiat quisquam de tramite verbi,
Neue ultra sortem sacris adfingite rebus
Quæ non instituit, pepigitq; in fœdere Christus,
Nec verbum pacto diuellite ab ordine Christi.
Nil elementa valent sine verbo, atq; ordine iusto,
Eridos at causas præbent, & semina litis,
Quippe ea cum verbo sunt mystica signa sacrorum.
Ritus enim veriq; usus, atq; ordinis expers,
Nulla representat rerum monumenta sacrarum.

Sic ubi Pontificum cultus taxaret inanes
Ex fidei ratione probans sua sensa Melanthon:
Eccius en amens animi, non hiscere contrà
Ausus erat, sed enim furijs correptus & ira
Dum parat ille sitim forti restinguere vino
Feruidus, accensum vino dissoluitur epar,
Nec docti eualuit conuellere dicta Philippi
Ad varias quanquam se vertit callidus artes,
Sed fremitu ingenti migravit corpore vita.

Hic

Hic ille est aries qui pulsat regna Papatus
Impia conuincens deliria, ut improbus audet
Fingere se Christum manibus gestare sacerdos,
Ac reprobis, vacuisq; fide dare corpus edendum.
Hoc vno responso omnes euertit abusus,
Quod qui fortè negant, non se de gente Papatus
Defecisse putent, sed adhuc fundamine eodem
Sacra fouere eadem, sensuq; tenere sinistro
Mystica sacratae passim conuiuia cœnæ.
Hoc quondam audito, demum sentire Luterus
Ceperat errores, & se sub castra recepit
Docte Philippe tua, & fixum, immotumq; teneri
Hoc voluit, magnoq; animum perculsus amore
Letitia exiliyt, solum te laude ferendum
Vociferans, solum te exactè scripta tenere
Antiqua, & sacras tractare insigniter artes.
Gratia magna tibi, nouit te vesper & ortus
Sancte senex, cursusq; tuos, actosq; labores,
Et studia, & mores, numeroq; carentia dona.
At tibi summe pater cum Nato compare, & aura
Viuifica tecum, ferimus de pectore grates,
Qui tantis nostras decorasti heroibus oras,
Et verbo armasti, quæis Spiritus utitur armis,
Hi nunc carne vident Verbum patris æthere in alto,
Et iunctis precibus, consorti & carmine honorant.
Dij sanctis illorum vmbri dent pace potiri,

Qui

Qui seræ soboli fidei documenta sepultæ
Ritè repurgarunt iterum, in lucemq; tulerunt.

Quòd superest, quoniam pars hæc mihi tradita va-
Ferre pijs vmbriis grato solennia versu: (ti est
Non tu carminibus nostris indictus abibis
Insignis fama, & venæ bonitate Sabine,
Itala quem tellus vatem mirata canentem est
Bembe tuis hortis Musarum astante corona
Auia dum resonant auibus virgulta canoris.
Felix si demum Ausonias non missus in oras
Venisses, nec fors reducem te fata tulissent
Correptum morbo, socerum nec morte secutus
Cui damus inferias, iam mecum in amore maneres
Incepto, & dulci mecum tua Musa Philippum
Concineret versu, nec te mihi gratior vllus
Cum puer inciperem blandis dare tempora Musis.

Nec tu Lotichi fama, venaue secundus
Vatibus Ausonijs, quem iuxta clare Micille
Ad Nicri ripas vicina in sede quiescis.
Te quoq; Stigeli præstantem carmine & arte
Extinctum lugent Musæ: Te barbitos Heli
Iessæa: egregijs numeris qui cælica verba
Ornastis: qualiq; Aronis virga nitebat
Flore nouo, tali decorastis carmine Christum.
Vobis parta quies, & vestris ocia Musis,
Saluete æternum simul, æternumq; valete.

τέλος.

PARENTALIA ANNIVERSARIA
FACTA VVITEBERGÆ,
1561. 19. APRILIS REVERENDO ET CLARIS-
SIMO VIRO D. PHILIPPO MELANTHONI.

IAM sol ingentes ter mille peregerat annos
Orbis ab exortu, magnoq; ita crimine mundi
Relligione patrum multos neglecta per annos
Conciderat, vacuæq; suis cultoribus aræ
Stabant immemores voti, ingrataq; salutis,
Siue dolo, seu iam mundi sic pœna ferebat:
Cum genitor faciem hanc cœlo miseratus ab alto,
Nec torpere graui passus sua sacra veterno,
Magnanimum Heliam cum fido misit Elisa
Imperio accitos, qui sacra immania gentis
Belidæ, arguerent manifesto numine verbi,
Et populum antiqua sub relligione tenerent,
Ambo animis, ambo insignes præstantibus ausis.
At postquam cursum dederant quem fata peregit
Helias, & iam fallax concesserat vmbra
Victa die, & fulsit tenebris doctrina fugatis:
Ecce Dei natus, non est mora libera terris
Amplius Helia, cœlum est quò tendimus, inquit,
Posceris, & cœlo expectat te currus ouantem,
(Currus erat turbo radijs qui pluribus ignem
F Projcit,

Proicit, & rutilis hinc atq; hinc pingitur auris,)
Hunc preme, & hinc mecum victor te crede per auras,
Fata vocant, eia, terræq; hominesq; valete:
Dixit, & ex oculis tenues sublatus in auras
Heliam curru radiantibus intulit astris.

At pater excedens tellure, vocavit Elisam
Ad partes tantorum operum, curamq; docendi
Imposuit, solum tantis quem rebus habebat
Consortem, & casus fuerat complexus in omnes.

Ingemuit cari grauius genitoris amore
Vt vidit iuuenis, simul hæc, Quis credere possit
Tantum discessu mihi te nunc ferre dolorem:
Tu regno munimen eras, nihil omnibus actum
Armorum impensis, nec tantum in prælia currus,
Aut equidem turmæ potuere, aut bellica virtus,
Quantum tu regno & rebus communibus vnus
Contuleras, equidem non dicere vera pigebit,
Nam tu noster eques, tu currus instar agebas,
Quicquid & in toto benè gestum est corpore regni,
Hæcenus Eliæ precibus stetit: hei mihi quantum
Præsidium Syria, & quantum tu perdis Idume.
Sic memorans, vultum lacrimis ac ora rigabat,
Atq; vt discedens præceperat optimus illi
Helias, si qui lapsus, errorue fuissent,
Pallia suscipiat, condatq; errata magistri,
Hæc capit, atq; humeris aptat nunc alter ab illo.

Ergo

Ergo scholæ, quâ lata patent Bethelidos arua,
Et Iericho fœcunda rosis, & Gilgalis ora,
Egregium vatem vati succedere gaudent
Sorte noua, atq; illum venientem pectore toto
Accipiunt iuuenes, pendentq; docentis ab ore.
Accingit vates operi, patiensq; laborum
Formabat mentes iuuenum, quâ flumine sacro
Iordanis fœcundat agros, & fortis egentes
Matres, atq; viros parua circum antra Sareptæ
Officij plenus dictisq; opibusq; leuabat,
Et regnum ornabat verbo, & præstantibus ausis.
Quin etiam gratis aliena è gente Naëmum
Tabe leuat: veniamq; dari iubet hostibus ipsis:
Multa quoq; illustri fastidia passus ab aula
Sustinuit: plenusq; Deo longè antè canebat
Fataq; fortunasq; graues, quibus ordine longo
Debentur, quicumq; Deum præcepta perosi
Non finem posuere malis: quiq; arma secuti
Impia: nec veriti per amici fallere nomen.
Quondam etiam insultant pueri, diuinaq; rident
Verba senis, quos ille rudes formauerat antè
Artibus, & primis dederat præcepta sub annis,
Hos super ante Deum supplex per vota precatus
E latebris vrsos ridentum in fata ciebat:
I nunc & verbis doctriam illude superbis.
Ergo vbi bis septem labentia lustra docendo
F 2 Expleuit

Expleuit genitor, præstantesq; inter alumnos
Egregium eduxit vatem quem miserat Amos:
Hic annis grauis, & studijs iam fessus Elisa
Assyrium terrorem inter, regniq; labores
Contracto languore iacet, supremaq; Parcæ
Fila legunt, metasq; dati peruenit ad æui.
His verò vt Ioæ regi iam nuncius aures
Verberat, egregios humeris rex scindit amictus,
Et venit in medios, atq; illic vate reposto
Procumbit super atq; hæret lacrimansq; gemensq;
Multaq; se incusat qui non suspexerit antè
Factaq; virtutemq; viri, sanctosq; labores:
Et quanquam serò agnouit, tamen optima dona
Agnouit tandem: pacemq; & commoda regni
Acceptum vati tulit, & pro talibus ausis
Illum etiam patris dignatur nomine, & illum
Curramq;, aurigamq; vocat, dehinc præmia solui
Posse negat, guttisq; humectat grandibus ora.
Iamq; dies fati instabat, fractusq; labore
Sacra, suosq; Deo precibus commendat Elisa
Quæq; in promissum sua sit fiducia semen
Edocet, immiscetq; preces, tum vita per auras
Concessit læta ad superos, corpusq; reliquit.
Hic verò obijcitur monstrum, magnoq; futurum
Augurio dictis, quæ tunc quoq; plurima vates
De Christo ediderat passim, vitaq; futura:

Namq;

Namq; virum exanimem, nec iam cœlestibus vllis
Debentem, in lucem reuocârunt ossa sepulti.

Hac celebrata tenus vatum sit fama priorum.

AT velut antiquis fatorum arcana canebat
Alterum ab Helia manifesto numine ferri

Qui Christi aduentus antèret munere primos,

Omnia Thesbitæ similis, vocemq; animumq;

Et miras vestes, & numen habentia verba:

Sic quondam à patribus famam accepere minores,

Esse quoq; in fatis vt mundo redditus Enoch,

Iunctus & Helias ipsi: seu tertius orbi

Editus Helias fido comitatus Elisa

Supremum aduentum Christi præuerteret olim.

Hos fore prædixit tecta sub voce Ioannes

Instar oliuarum, vacuas quæ intonsa sub auras

Attollant capita, & sublimi vertice nutent:

Hos fore, qui claram doctrinæ extollere lucem

Conati, insidias inuicta mente refutent,

Atq; tot egregias artes, pietatis alumnas,

Linguarumq; vsus varios, in pristina reddant.

Dicta fides sequitur: natas hoc tempore Oliuas

Vidimus ingenti fatis se tollere silua

Concordi studio, paribusq; insurgere ramis.

Ille quidem Helias postremo in tempore mundi

Altera erat nostros fatalis Oliua per hortos

Hercinijs educta iugis, qua nulla vetusti

Iapeti de gente prior, maióruē coõrta est
In lucem, nec tam præsens mortalibus ægris,
E tenebris tantis tam clarum educere lumen
Quæ primùm potuit cœlestia sacra repurgans.

Diuina ante oculos fœdè cùm verba iacerent
In terris oppressa graui sub fraude Papatus:
En Germanus homo dictis obtendere contrà
Est ausus, primusq; sacris obsistere iniquis,
Quam nec fama Papæ, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit Latium, sed eò magis acrem
Incendit virtutem animi, conuellere vt ima
Ab radice nigri cuperet sacraria Ditis
Vi superûm, & letho multare Baalis alumnos.

Ergo viuida vis animi peruicit, & ausus
Sublatus aperire dolis cœlestia verba,
Lustratæ & Cereris cultum, vetitosq; hymenæos
Primus adoriri, tanquam duo fulcra Papatus.
Primus & ille Fidem qua sola sidera adimus
Edocuit, stabiliq; animi virtute professus
Doctrinam, stetit obnixus tela omnia contra
Ingenio, vitamq; in aperta pericula misit.
Ille & vocalis numen venerabile Verbi
Extulit, & sacris ausus conuincere dictis
Qui sua visa solent vanis extollere signis,
Et premere auditi vires & pondera verbi:
Namq; illi præ se iactant responsa Deorum,

Et

Et vano adflatus suspensi numine captant
Dementes, quos ille omnes ex ordine ponens
Compressit scriptis: dehinc sacra volumine vertit
Teutonico ritu: pacatæq; instar oliuæ
In pacis studijs communi deesse saluti
Noluit, & quanquam varia in regione locorum
Exarsere faces belli, furysq; docentum
Mota loco pax est, aliqui dum somnia præ se
Vana ferunt, non ille tamen, non ille furori
Adiecit stimulos, nec causas attulit armis,
Sed monuit pacem excusso componere ferro.
Ergo illa florente Olea, pax floruit olim
Alma solo, moriente illa, pax mortua terris
Excessit, subyt bellum, tristisq; repente
Seditio: quod si maiores fata dedissent
Illi in luce moras, non tot Germania clades
Ferret adhuc, nec tot vidisset cædis acervos,
Cognatasue manus inimica in prælia ferri,
Alternisq; instare odijs: ea sola potentes
Flectere voce duces poterat, ne credere bello,
Néue aciem auderent opponere Cæsaris armis,
Teçta modò, & tutas seruarent milite portas,
Armatiq; suis expectent mænibus hostem.
Atq; ea dum terris diuina negocia solus
Sustinet, en socios tantis adiungere rebus
Cura Dei voluit, partita sorte laborum:

Te cui

Te cui larga fuit dicendi copia Iona,
Et qui se veniens Pomerana è gente ferebat,
Quiq; Crucis nomen tenuit, dum vita manebat,
Et Rheni in ripis ad parua mœnia Brettæ
Dijs genitum heroëm, sed quo te nomine dicam
Cui paruos membrorum artus, parua ossa, lacertosq;
Induit, & paruum finxit natura Philippum,
Maxima quanquam illi mens, atq; inuicta ferendo,
Qui cum partiri curas, suaq; optima facta
Lutherus, si quid vellet, tutoq; locaret,
Iam tum circumstante odio, quos fama Philippi
Obliqua inuidia, stimulisq; agitabat amaris,
Scindere qui iunctos animis, studijsq; volebant.

Iamq; suos tandem cursus explerat Helias
Ultimus, & fidens animi, fixusq; manebat
Omnes per mortes animam dare, quam tua sacra
Abiurare Deus, qui ne quid triste videret
Iam senior, fessum ponens caput, vrbe paterna
Occubat, Et Latio moriens animam abstulit hosti.
Corpus at exanimi multo gemitu, lacrimisq;
Vrbem ad Leucoream referunt, atq; aggere busti
Composito, multo decorarunt mortis honore.

Vt senior letho canentia lumina soluit:
Agnouere Duces insignia dona Philippi,
Sedatosq; animi motus, ea cura sagaces
Admonuit doctum precibus tentare Philippum

Succedat

Succedat, seruetq; vices statione Lutheri:
Ipsum rem studijs cupiunt decernere, & ipsum
Rectorem iuuenum poscunt, cui maxima rerum,
Verborumq; fides, quando felicibus æquè
Tum comes auspicijs caro datus hæsit Eliæ,
Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem
Christe tui, scriptis illustrans commoda vitæ.

Hæc erat, hæc iterũ quæ creuit Oliua sub auras
Altera, quam gentes varia responsa petebant
In dubijs, & quæ multos lenire dolentes
Solando potuit dictisq; auertere curas,
Cuius sub folijs positi, & felicibus vmbrijs,
Solliciti monstris, animo accepere quietem.
Digna quidem terris nasci melioribus annis,
Ne vita incederet fatis agitata sinistris
Tempora: Sed si mens multis non læua fuisset,
Et monita auersas poterant demittere in auras:
Fors Germana minus vidisset terra malorum.

Sed motus animorum, & seuca incendia belli
Parte aliqua tandem vt fatis compressa quierunt,
Et ventum ad pacis leges, fœcundaq; fucos
Concilia: haud vlli quicquam moderabile lingua
Consulere in medium visi, nec pendere secum
Quid fortuna ferat populi, qui casus agat res:
Tantum illi inter se vanis de rebus agebant
Certantes, animosq; hominum in diuersa trahabant.

G Sed pa-

Sed pater intentus studijs quorum indiget usus,
Consilia in melius vertit, posuitq; furentum
Corda, volente Deo, monitisq; instabat amicis
Ocia ne rumpant patriæ, sedataq; paulum
Arma Ducum, moueant Stygijs emissâ tenebris:
Ne verò, ne me ad vanas impellite rixas.

Sed tandem accepta cum primùm clade leuari
Inciperent concussæ vrbes, formasq; priores
Disiectæ sumpsere scholæ: tum docta reuersum est
Ad monumenta operum, bello quæ rupta iacebant.
Sicut apes pinnis non possunt tendere paslum,
Nec legere aërios latices in suauibus herbis,
Materiem mellis, seuit dum turbidus aër
Imbribus, atq; diem ex oculis rapuere procellæ,
Sed clausæ alueolis latitant, & triste susurrant,
Ocia neglecto peragentes mæsta labore:
Sic quando inter se violatis legibus vrbes
Luçantur bello, cessant opera atq; labores,
Spreta latet pietas, studijs quoq; gratia rara est.
Tantum Musa valet tela inter Martia, quantum
Libanias dicunt Aquila veniente columbas.
Et quanquam furia obstabant ingentibus ausis,
Non opere in tanto quicquam leuitate remissum est.
Nec sanctas curas, & magna incepta Philippus
Deserit, aut tristi turbatus tempore differt:
Sed contrâ accinctus studijs non segniter instat,
Et pa

Et patiens operum, rebusq; assuetus agendis
Aut dictis iuuenes docet, aut dat scripta sub auras,
Ausus & ipse manu iuuenum censere laborem,
Et curas abolere humiles, suaq; ardua sensa
Substituisset loco, fandi numerumq; modumq;
Præcipere, & suavi formare inculta lepore,
Vnus qui nobis conuulso cardine lapsas
Restituit linguas, artesq; in honore locauit
Barbarie pulsa trans Pontum, atq; ostia Nili.
Omne æuam studijs agitur, nec cana senectus
Imminuit vires animi, mutatq; vigorem,
Caniciem vitta tegit, & sedet ilia circum
Succinctus tunica, libriq; ante ora reposti
Intentum exercent in relligione tuenda.
Quæ regio, quæ terra tui non plena laboris
Sancte senex magnis mundi iam functe periclis,
Sed cælo meliora manent: tua docta reperta
Iucundo super aspectu mortalibus astant,
Et genium spirant: manet, eternumq; manebit
Doctrinæ corpus, monumentaq; cætera rerum
Materiem laudis, pietas dum stabit, habebunt.

Relligio in templis vt inutilis, inq; voluta
Perstreperet, Verbiq; ignaras pasceret aures
Lusibus: ille dolos tandem, ambagesq; resoluit,
Et facilem esse viam voluit, primusq; per omnes
Doctrinæ campos volitans, se sustulit acri

G 2 Tectore

Pectore supra hominem, sacras & versus ad artes
Intima mente sua diuim ad penetralia cessit:
Doctrinamq; vagam late, neruisq; solutam
Contraxit pius, in numerumq; repente coëgit
Lucida Theseo monstrans compendia filo.
Hic vir, hic est qui sorte sua in commune laborans
Sincerae pietatis opus mira arte redegit
Corporis in faciem solidi, diuinaq; pura
Scripta vetustatis relegens, erroribus altis
Expedijt mentes, atq; execrabile sacrum
Stans in sede sacra, sibi quod pro Numine cultus
Vendicat, exigui cantatus pollinis orbis,
Maiestate sua exutum iam fraude relecta
Pontificum, increpuit dictis, ueraq; repleuit
Religione animos, nodosq; & caeca resoluit
Texta doli, uerbis anceps haud antè repertus.
Hic pro confesso Fidei, memorabile fama
Sed breue scripsit opus, quo non exactius vllum
Vindelicis quondam terris coëunte Senatu
Imperij, missum est tibi Carole diue legendum.
Ille in concilio procerum assistente corona
Quid teneat fari iussus, responsa ferebat
Ordine recta suo, causamq; ante ora potentum
Pro Christo, & verae pietatis nomine dixit
Nequicquam accensus dontis, furysue superbis
Territus: ille Dei, uerbis immota tenebat

Pectora

Pectora, & obnixus Christum sub mente fouebat,
Ille idem vano doctores ætheris haustu
Attonitos, verbiq; hostes: Christiue negantes
Numina: confudit scriptis, fraudesq; reuellit.
Te quem degenerem populari à gente Maronis
Mantua in herbosis produxit Stancare ripis,
Quiq; Boruſſiacas impleſti erroribus oras
Noridos egregia migrans Oſiander ab Vrbe,
Et qui fœda tenes maleolentis nomina campi.
Horresco referens, ſpreto qui numine Verbi
Expectare iubes raptus, atq; æthere ab alto
Augurijs inhias, Flacij quem monſtra ſequuntur
Efferat, Dij talem templis auertite peſtem,
Et placidi ſeruate pios, ne cuncta pererret
Serpentis furiale malum, vertatq; veneno.
Paruus homo, & tantis ô ciues vndiq; preſſus
Aduerſantum odijs, tantos impunè labores
Pertulerit? tantas ſcriptis euoluerit artes?
Hic claram rebus lucem attulit, aſpera cliuo
Præcipiti, ſtrata eſſe dedit, fœdisq; repletum
Præſtigijs tantum, Chriſti purgauit ouile,
Regis vt Augiæ ſtabulum Tyrinthius heros.
Ille etiam quæ ſit ſacris præſtantia ſcriptis
Edocuit, quæ conuerſis fiducia Chriſti,
Quo motore nouis cor ruruſum indulgeat auſis,
Et quam ſortem obeat lex, & pia Gratia Chriſti,

G

3

Quis

Quis diuūm metus, & quàm sit venerabile Verbi
Munus, & æterno placeant quæ vota parenti,
Et quæ signa ferat præ se Respublica Christi,
Quid regno Christi civilis in orbe potestas
Distet, & inter se qua sint ratione repulsa.
Inde Magistratus sancti, Vitæq; iugalis
Exequitur laudes, & rerum signa sacrarum
Commendans populis veros edisserit vsus:
Quæ si cuncta meis complecti versibus optem,
Magnus in immensum rerum mihi cresceret ordo.

Quid genus, & patriam memorem, quòd parua
Bretta Palatinas tanto se iactet alumno, (per oras
Quæq; pater nulli armorum fuit arte secundus,
Quòd puer addictus studijs, sacrata Camœnis
Templa frequentârit, & primos egerit annos
Haud molles luxus, aut curas inter inanes:
Paruus erat membris, sed factis viuida virtus
Ausa caput proferre suo maturior æuo.
Atq; illi puero Latia, Graiaq; Camœnæ
Nosse suas artes dederant, penitusq; repostas
Naturæ causas, secretaq; iura tueri,
Fatalesq; ignes cœli, variosq; meatus,
Defectus Solis varios, Lunæq; labores,
Qui motus terram quatiat, qui nam igne corusco
Fulmina molitur, vel qua vice sua tumescant
Obicibus ruptis freta, & in se deinde residant.

His

His linguæ cultum addiderat, curamq; loquendi,
Seu dictis sedare animos, seu tollere malit.
Ergo in Gymnasijs doctrinæ insignia nactus
Penè puer graduum egregio gaudebat honore
Quâ Nicri iuga culta iacent, quâq; ora Tubingæ
Vitiferos despectat agros, & palmite vestit.
Cuius ubi inspexit mores, variaq; refertum
Cognitione animum, coniunctus fœdere stirpis
Optimus interpres Hebrææ Capnio linguæ:
Auctor erat Friderice tibi, (qui fortè sub illo
Tempore fundabas habitanda palatia Musis
Ex Helicone vocans ad flauas Albidos undas,)
Ut iuuenem pro se tanta ad molimina rerum
Accersas, iubeasq; rudi dare iura iuuentæ,
Hunc studijs restare canens, hunc poscere Musas,
Hunc fatis promitti iterum, qui sacra Deorum,
Artesq; linguasq; in apertas eruat auras.
Quas ibi tum scriptis operas, quæ facta Philippus
Ediderit, paruo assuetus, patiensq; laborum,
Et quæ præstiterit ciuilibus munia vitæ,
Audyt, & si quem calidi sub sidere cancri
Pressa tenet tellus, & si quem conscia brumæ
Opposito videt axe, & quem Sol lumine sero,
Et quem clarus equis Oriens aspectat anhelis.
In manibus Musæ, quas ipse ad Teutonis oram
Induxit faciles quascunq; volebat ad artes,

Heroum

Herōum seu gesta velit, seu pangere Christi.
Hic Sophia fontes quos tristis amaror habebat,
Instar Elisæi quondam, gustantibus aptos
Esse dedit, vitæq; pios conuertit ad vsus.
Autoresq; operum variorum, artisq; repostæ
Explicuit, Graiūm voluens antiqua reperta,
Germanam resonare docens verba Attica pubem:
Et si non patria obstaret, Rhēniq; fluenta,
Graius erat, tantus lingua fuit vsus in illa.
Huic pater omnipotens dederat cœlestia nosse,
Et rerum causas, obitusq; inquirere & ortus,
Doctrinamq; omnem recti quæ conscia & æqui
Dat leges vitæ officijs, & fœdere certo
Describit quod fas homini, quod moribus aptum.
Quin etiam curæ est longos extendere in annos
Facta virūm, & rerum series ab origine mundi
Digerere, & serum scriptis transmittere in æuum.
Quas non ille artes, quæ non monumenta priorum
Edidicit? quas non tam paruo in corpore dotes
Contulerat melior Deus & natura Philippo?
Confer enim diuina aliorum inuenta, librosq;
Nec numero, nec honore pares, nec simplice uena.
Quis uæ ualet uerbis tantum, qui condere laudes
Pro meritis eius posset, qui talia nobis
Pectore parta suo, quæ sitaq; munera liquit,
Quorum si uellem numeros æquare canendo,

In Lybiæ

In Lybico videar disponere littore fluctus
Cum ferus Orion hybernis mergitur undis.
Et tamen ille æquè grandis labor, ardua si quis
Virtutum decora, atq; animi bona vincere verbis
Aggressus, factis tam claris addere honorem
Tenderet, aut peregrè aduectas inducere formas
Stat factis contenta suis imperdita fama
Iusticiæ, sensere piùm, sensere fidelem
Communes quicumq; operas hausere laborum.
In vultu graue numen erat, sed Gratia in ore
Egregio, in dictis fatalis candor, in actis
Dexteritas rerum prudens, in fœdere pacto
Intemerata fides, & nescia fallere vita.
Nec leuis ambitio, nec amor furiosus habendi
Flexit ab incepto securum odijq; latentisq;
Inuidiæ, seu cum manifestos iret in hostes
Intrepidus, seu cum calidis se opponeret ausis
Falsorum fratrum, & motus inhiberet iniquos,
Dum paci medium se offert, moderatior vnus
Qui fuit in populis cum Teutona regna flagrarent
Dissidijs, semper cui cura auertere bellum,
Et pacem proferre orbi, placidisq; tueri
Consilijs, presse succurrere relligioni,
Omniaq; in studijs rerum conuertere ad vsum,
Excipere insultus, & ne certamina fiant,
Fanda, infanda pati, atq; hostes superare precando,
H Nec

Nec dictis certare vlli, aut decernere bellum,
Sed mussare animis, & vincere probra tacendo.
Non illum officijs piguit certasse priorem,
Atq; sui memores alios fecisse merendo.
Quin & confectos morbo, fatisque sinistris
Lenibat dictis, & non ope defuit vnquam.
Finibus expulsos patrijs, in tecta recepit,
Quotidiè solitus proprijs admittere mensis.

Quid memorem quibus ille preces ardoribus, &
Ediderit gemitus, superis cum debita vota (quos
Solueret, & te summe pater cum compare nato,
Et consorti aura studiorum in cœpta vocaret?
O quoties, & quæ nobis suspiria fudit
Læta pregans statuiq; pio, & ciuilibus ausis.
Id vnum in votis habuit, quò fœdere firmo
Duret ad extremum felix Respublica Christi,
Cui sine labe fidem, lætamq; in rebus egenis
Spem nutricem hominũ, quiq; has comitatur Amorem
Legauit moriens, neq; enim dare maius habebat.
Vtq; aliqui doceant iura intemerata salutis,
His indefessum studium, & cor ferre paratum
Optauit moriens: dehinc qui sunt cunq; professi
Ingenuas artes, vrgere fideliter illos
Ingenuas artes, & moribus esse magistros
Maluit, & pueros studijs educere honestis.

At iuuenes studijs operati, ante omnia promti
Rectorum

Reſtorum teneant ſe lege, & iuſſa volentes
Expediant, placidumq; agitent cum ciuibus æuum,
Diſcurſu abſtineant, leuium ſpectacula rerum
Ne celebrent, ſtudia ad mores componere diſcant.

O ciues, ciues, referenda eſt gratia doctis,
Agnoscenda ſemel tot præſtita munera ab iſſis
Hoſpitibus, non ô miſeros deglubite, néue
Ignorate Deum memorem fandi atq; nefandi,
Hoc vobis moriens optauerat optimus heros.

At Romæ imperium magnum tibi maxime Chri-
Vni animis, opibusq; tibi ſe dedat, & olim (ſte
Accipiat tua iura, dehinc & iura vetuſta
Seruet in integro, poſtq; indeiecta propaget.

Quin et vota dabat ducibus, quò fœdera firment,
Externosq; petant coniuncti viribus hoſtes
Pace domi facta, & nullo turbante tumultu.
Sint etiam altores cœtus te Chriſte profeſſi,
Egregiasq; artes curent, & præmia reddant,
Sint Mecænates & erunt Auguſte Marones.

Idem optans mandata dabat quò ſubdita turba
Pro ducibus pia vota ferant, & viuere honeſtè
Affueſcant, rerumq; ſtatu præſente fruantur,
Agnoscant merita, & celsæ virtutis honorem.

Atq; vt ſe grati poſſint præſtare magiſtris,
Commendat virtutem illam diſcentibus artes
Palliaq; ante oculos habeant quibus vſus Eliſa eſt

Quæ pater Helias digressu liquerat ipsi:
His vicia occultent, tacitiq; abscondere discant
Si qui olim infirmis senioribus excidit error.
At virtutem animi, atq; exhaustos mille labores
Decantent memores, iuuet hoc meminisse minores.
Hoc venienti ævo doctis transscribite chartis.
Quòd si aliqui fessis studio atq; ætate magistris
Illusere olim, nec habet petulantia finem
Turbandi studio, Chamiq; exempla sequuntur
Quà se aperit via, & obnixi stant omnia contra:
Dedicat his laqueum, pœna & gestamen Iudæ.
Hoc vulgi illaqueant animos, quod carmine gaudet
Auriculisq; Midaë, nec habet discrimina rerum.

Deniq; & optabat quò credula turba Papatus
Agnoscat maturè animum, erroresq; suorum,
Inq; viam redeat cultus exosa nefandos
Sacratos dum ritè litans altaribus orbes
Tercentum tonat ore Deos, lustrataq; liba
Pro votis offert viuorum, & luce carentum,
Et face gentiles ferroq; tuetur abusus.

Quod superest, trifidum gemmis, auroq; galerum
Defectori optat Staphylo pro sorte laborum,
Sacrificam vt gentem præsul ditione teneret,
Quandoquidem hæc merces sola est quæ deêrat auaro.

Hæc suspiria, & hos gemitus vir magnus ad au-
Assiduè fundebat, & hæc ita voce precatus (ras
Omnibus

Omnibus imperij statibus sua vota reliquit
Cumq̄ quater denos & tres tamen insuper annos
Urgeret cursum studijs, variosq̄ labores
Conderet, & nullo precio precibusue minisue
Auelli incepto posset: statione peracta
Decubuit lenta correptus febre, nec vltra
Esse sinunt Parca terris tam nobile lumen.
Sed studia & cura non ipsa in febre relinquunt,
Illo quippe die quo tristia fata vocabant
Fertur adhuc scriptis quæ trunca ex parte iacebant
Adplicuisse manus, agrè cum membra moueret
Victa æuo, & tremulam posset vix ducere pennam,
Cum tandem in medios dat vocem, & pignora cara
Cum genero, paruosq̄ amplexus ritè nepotes
Prosequitur votis supremum & voce salutat,
Exolui membris cupiens, & corpore liber
Esse penes Christum, superasq̄ euadere ad arces,
Talia dicentem vox vna & vita reliquit,
Atq̄ animam placidè ponens caput exhalauit:
Purpureo veluti cum flore Melanthion agris
Languescit moriens, aut nigris lilia terris
Succumbunt, & colla solo decussa reflectunt,
Nec minor in tectis luctus moriente Philippo,
Et subitus fragor, atq̄ ingens concursus ad ipsas
Exuuias, quam cum demortua membra Iacobi
Per Canaæ populos magno veherentur honore.

H 3 Circum-

Circumstant gemitu ingenti, mulcentq; magistri
Pectora plausa sui manibus, pars pectora tundit
Ipsa sua, & lacrimis largè rigat ora profusis.
Multa viri virtus animo, multusq; recursat
Religionis amor, promptusq; ad singula sermo,
Continuusq; labor: quàm vellent ad vada Nili
Nunc efferre pedem, & viuis attendere verbis,
Et propius conferre latus, & dicta notare,
Fata obstant, placidusq; viri sopor alligat artus.
Sed tum more sua studia interrupta iacebant
Multa modis miris, tot enim tot commoda in vno
Mors rapuit, tantosq; orbi subtraxit honores,
Atq; aliquem infandum casum fortuna minatur,
Cernis vt insultent hostes, Staphylusq; feratur
Per medios, furijsq; incendat corda regentum.
Atq; iterum in nostros Scythicis insurgit ab oris
Turca ferox, equidem credo noua praelia restant,
Securi interea cumulamus crimine pœnas
Ab dolor, atq; animis tantùm certamus iniquis.
Sed nunc exactis completur mensibus annus
Ex quo reliquias, diuiniq; ossa Philippi
Condidimus terra, tumulumq; ereximus arce.
Et nunc ad cineres iterum cum carmine mæsto
Adsumus, & festo grati celebramus honore,
Et pompã hanc memores ferimus, monumenta doloris
Exigua ingentis, caro sed debita patri.

Fortunate

Fortunate Senex tibi nunc tibi præmia cælo
Expectare licet, quando hîc tibi triste relictum est
Doctrinæ precium, nec parcit manibus ipsis
Qui nunc Parthenope seuit Tilemannus in Vrbe:
At tu magne Pater Diuûm miserere, tuoq̃
Insanum hoc detrude caput sub tartara telo,
Quando aliter nequit infectam comescere linguam.
Sed tu salue iterum atq̃ iterum dijs care Philippe,
Qui rem Germanam magno feruente tumultu
Seruasti precibusq̃ tuis, studioq̃ fideli,
Tu letus nunc pacem agitas, fruereisq̃ Deorum
Alloquio, & dictis vates affaris amicis
Tempus erit cum te pater & tua maxima facta
Inscribam Cedro, si quid mea carmina possunt
Huncq̃ diem dum fata sinent ego semper acerbum,
Semper honoratum solenni carmine habebo
Quô res cunq̃ cadent, nec sit mihi gratior vlla
Quàm quæ magnanimum seruat nunc terra Lutherum,
Et gremio parui complectitur ossa Philippi.
Nos alias iam hinc ad lacrimas eadem horrida leti
Iura vocant, salue eternum diuine Melanthon,
Æternumq̃ vale, & cape grati munus amici.

F I N I S.

H 4 EPI.

EPITAPHIVM

REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI PHILIPPI
MELANTHONIS, &c.

Hic iacet Europæ decus & pia fama Melanthon,
Corpore qui paruus, maximus arte fuit,
Cuius ob egregias virtutes, claraq; scripta
Et Pietas, & pax hac regione stetit.
Bretta viri patria est, clarum virtute parentem
Ampla Palatini fouerat aula Ducis.
Sed puer in ludum missus Phorcenidos Urbis
Indolis egregiæ prouida signa dedit.
Mox patris in patriam tendens vt disceret artes
Ingenuas, Nicri culta Lycea petit.
Et duo transegit cùm lustra & quatuor annos,
Nactus ibi primum cepit in arte gradum.
Hinc iuuenem fecit titulo gaudere Magistri
Aonij nutrix clara Thubinga chori.
Tunc noua fundabat conductis atria Musis
Albidos ad flauas Dux Fridericus aquas:
Insignemq; virum Capnionem ad cœpta vocabat
Augustæ Imperij conueniente statu.
Capnio laude uehens cognati dona Philippi,
Hunc iubet Albiacæ munus obire scholæ.

Hic

*Hic tunc Argolico docuit sermone iuventam,
Barbaries illo pulsa docente fuit.
Et Sophiae tristes fontes, velut alter Elisa
Farre dato, gratos vsibus esse dedit.
Nota viri virtus, nota est doctrina per orbem,
Proq̄ pia exhaustus relligione labor.
Hic fidei summam veræ mandante Luthero
Obtulit Augusta Cæsar in vrbe tibi.
Membræq̄ Doctrinæ, corpus digessit in vnum
Sparsa prius nervis quæ iacuere suis.
Ac hostes Fidei scriptis & voce refutans
Multa foris subiit, multa pericla domi.
Et quàm Romani latè patet orbita regni
Impleuit meritis templa scholasq̄ suis.
Donec ab ardenti consumtus viscera febre
In Christo placida morte solutus obit.
Et nunc ille quidem defunctus mole laborum
Conspectu fruitur, colloquioq̄ DEI.
Sacrificis vbi iunctus auis astante Luthero,
Doctores Christi pendet ab ore sacro.
Fors & vota facit quò sacra Ecclesia Christi
Vnanimi doceat cœlica iussa fide?
Mox tamen hæc surgent cœlesti rore rigata
Quæ nunc ossa solo marcida febre iacent:
Cum velut herba virens florebunt ossa piorum,
Et Fidei capient præmia digna suæ.*

H 5

At te

*At te posteritas colet ob tua dona Melanthon,
O vir ingenio non habiture parem.*

A L I V D .

*MAXIMUS hinc meritis, sed paruus membra Philippus
Ponè iacet tumulum magne Lutheræ tuum,
Cui pia religio se totam debet & Artes,
Et pax & regni publica commoditas.
Testis erit vitæ studiꝯ aetiꝯ laboris
Quicquid Romano vivit in imperio.
Cumq; odia à multis fuerit perpeſſus a lumnis,
Nunc cælo precium dulce laboris habet.
Oſſa tenet tumulus, ſed vivit fama: iacere
Tot dotes vno non potuère loco.*

*IN MORTEM REVE
RENDI VIRI PHILIP.
PI MELANTHONIS.*

*F*losculus è nigra tellure creatus in auras
Occidit, exequias ferte frequenter Apes.
Flete piꝯ flores, folijsq; inſcribite luētus,
Tu quoq; litterulas dic Hyacinthe tuas.
Omnes quæ Libani frondetis collibus herba:
Tu tamen ante alias florida ruta dole.
Non fuit in terris apibus flos gratior vnquam
Progenuit folijs tam pia mella ſuis.

E folys

*E folijs gratos Ecclesia sensit odores,
Vitaq̄ confectos venit in alueolos.
Heu valeant quotquot folijs insecta peresis
Hinc sugunt odijs seua alimenta suis.
Lucifugæ blattæ, vespaq̄ ante ora strepentes,
Et qui Libanias turba Asylus apes.
Aut qui non paribus Crabro se immiscuit armis,
Quiq̄ aliena piger pabula fucus edit.
Aut picturatis Eruca in pellibus errans,
Eq̄ luto volitans musca per ora virum.
Et vos obscœnæ volucres, pecudesq̄ valete,
Fœdantes vestro germina sacra fimo.
Quæ pede gallino, quæ calce rudentis Aselli
Eruitis virides per nemus omne comas.
Vos tamen ille omnes tam paruus pavit in Umbra,
Sic multis probitas officiosa nocet.
Valle sub Elysia sacra nemus arbore frondet,
Letaq̄ selectis floribus arua virent,
Si qua fides veterum, locus ille salubribus herbis
Est datus, obscœnæ quo prohibentur aues.
Illic assiduè libant examina rorem,
Et virides lædit bestia nulla comas.
Regnat amor florum, & generandi gloria mellis,
Et venit à leni murmure facta quies.
Flosculus hîc inter beneolentes consitus herbas
In sua mellificas germina vertit apes.*

Inq̄

*Inq̄ Deo occultam degit sub cesp̄ite vitam,
Nec metuit fucos in sua fata leues.
Sed folia in Cedri seruantur marcida cistis
Ne pereant seuis illa vel illa nothis.
Et sol iusticiae vernos cūm proferet ortus,
Flos etiam virides profert ille comas.
Sicca tamen radix parua componitur vrna,
Qua lapis ex ipso nomine carmen habet.*

(ustus

S Pargite humum lacrimis, Tacet h̄ic flos febre per=
Quem nigra terra dedit, mons tegit albus humo.
Felix illa apis est quæ non ingrata laboris
Hinc pia ab innocuis mella bibit folijs.
Sed quàm desit odor folijs, quàm gratia Flori,
Sylua prius folijs, flore carebit humus.

IN TVMVLVM PHILIPPI
Melanthonis,

*Cūm vellet docti manes celebrare Philippi,
Tunc sic audita est Musa Latina loqui.
Cedat Romanæ decus admirabile linguæ,
Illius in laudes non satis oris habet.*

Ioachimus Beustius I. V. D.

18. Nov 1996

Nh 1217

ULB Halle 3
001 600 079



TA → OL







11
PARENTALIA ANNI
VERSARIA, FACTA VITEBER-
GÆ 1562. 19. APRILIS, REVERENDISS: ET CLA-
rissimis uiris, MARTINO LUTHERO, & PHI-
LIPPO MELANTHONI.

Æ Terno genitore satum sine origine VERBUM,
Et fidos verbi suprema ad fata ministros,
Inuictum sacris Martinum, paruaq; Bretta
Quem dedit, & flauum post Capnio misit ad Albim,
Nunc iterum cano, & hoc iterum decoramus honore
Sublimes heroum animas, quos Leucoris ora
Audijt excitos fato reuocare sub auras
Verba dei, & fictos aris detrudere cultus:
Exigui numero, sed verbo uiuida virtus.
Annua iamq; dies agitur, quo membra Philippi
Condidimus terra, cui dum per fata licebit
Inferias inopes carmen, lacrimasq; sacrabo,
Præstans & memorem merite uirtutis honorem,
Atq; ita commendans verbi cælestis amorem
In studia adducam, & tantorum exempla virorum.
Dignus vterq; cani, quos in pietate docenda
Laude pari, & studijs æquè felicibus ambos
Cura Dei vnanimes ad fata nouissima iunxit.
Fortunati ambo, si qua est super vlla laborum
Gratia, si cælo pietas quæ talia curat,
Nulla dies vnquam uestra ardua facta silebit.

12.

B O sate